Quelle: https://manuscripta.at/?ID=708
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ut illa mundaret. Rex iste Christus est qui etiam animam tuam leprosam dilexit et balneum baptismi de suo sanguine ei fecit. Ephes. v. Christus dilexit ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret mundans lavacro aque in verbo vite. Et perpetuali aqua de quo iiii. Reg. v. Lavare septies in iordane et recipiet sanitatem caput tuum. Iordanis rivus iudicii interpretatur. Si enim homo iudicium futurum attenderet rivus contritionis et lacrimarum ab oculis cordis deflueret. ysidorus. Lacrime enim penitentie apud deum pro baptismo reputantur et recipiuntur. Iere. Qui vero lacrimas indesinenter fundunt et tamen peccare non desistunt isti lamentum habent sed tamen mundationem non habent. Veram autem mundationem sive sanationem optat Iere. xvii. Sana me domine et sanabor etc. ¶ Cuius conditionis leprosi erant qui se contaminatum proclamabat. In quo significatur lepra luxurie per quam maxime contaminatur anima. Iere. iii. Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum numquid non contaminata et polluta erit mulier illa. Contaminatum igitur se clamat qui publice per luxuriam peccat. Iere. iii. Fornicata es cum amatoribus multis et sequitur. Leva oculos tuos in directum et vide ubi prostrata sis. Sed anima pura et continens in directum erigitur. Sed luxuriosa in terram dirigitur et vilibus prosternitur. quia de rationa-

[Lu]xurie lepra.

li brutum efficitur. non celum aspiciens sed oculos ad terram deflectens. Nam hec lepra luxurie valde detestabilis est angelis. quia scriptum est. Angelis suis mandavit de te etc. Si enim filia regis alicuius tradita esset alicui in custodiam non parum displiceret ei si in custodia eius fornicaretur. Quantum ergo est eis displicere angelis cum filie regis celestis quibus ipsi ad custodiam deputati sunt fornicantur. Ideo dicit Glossa. In quovis angulo diversorio reverentiam exhibe angelo tuo ne audeas ipso presente quod me vidente non auderes. Item iste morbus valde placet demonibus quia in hoc peccato breviter lucrantur homines et modico precio. Prov. vi. Pretium scorti vix unius panis. Unde Ieron. Nichil vilius quam a carne vinci et nichil gloriosius quam carnem vincere. Hec autem lepra mundatur oratione humili. Unde David dicebat. Intret in conspectu tuo oratio mea. Glossa. Mira virtus pure orationis que quasi quedam persona intrat ad deum et mandata peragit quo caro pervenire nequit. Salomon. Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum sed adora deum et curabit te. quia ut ait Aug. Oratio humilis divinum promeretur auxilium. Judith. iiii. Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras si manentes permanseritis in ieiuniis et orationibus in conspectu domini. ¶ Cuius tertio.

Avaricie lepra.